




PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XL • N. 2

2008



Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII «DE PROCESSIBUS»

Sessio XII^a

(diebus 21-24 februarii 1972 habita)

Diebus 21-24 februarii 1972 in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut Sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant: Exc.mi Aurelius Sabattani et Ioannes Kaldany; Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus M. Pintó, Iosephus Damizia, Stephanus Kelleher, Ioseph de Castro Nery, Ioannes Barry et Elias Jarawan; Rev.mi PP. Christophorus Berutti et Eduardus Regatillo.

Praesentes quoque erant Rev.mus Raimundus Bidagor S.J., Secretarius Generalis Commissionis et Rev.dus Franciscus Voto, a Studiis ipsius Commissionis.

Quartae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis, Pericles Felici; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Bidagor.

In hac Sessione sequentes quaestiones examinatae sunt:

a) de processu contentioso summario;


b) de causis solutionis matrimonii in favorem fidei;

c) num peculiares normae in Codice retinendae sint pro iudiciis de quibus in cann. 1993-1998 et 2142-2194.

Exc.mus Sabattani functus est munere Relatoris pro prima et tertia quaestione; Rev.mus Damizia autem functus est munere Relatoris pro altera quaestione.

Relatores schemata canonum paraverunt, quae omnibus Consultoribus transmissa fuerunt antequam Sessio celebraretur.

Consultores Lefebvre, Pinto, Kelleher, Barry, Jarawan, Berutti et Regatillo votum circa propositas quaestiones paraverunt.



**Adunatio I^a
die 21 februarii 1972 mane habita**

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et quaerit num ipsi approbent relationem laborum Sessionis XI^{ae}, quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores positive respondent.¹

Deinde Rev.mus Secretarius rogat Rev.mum Relatorem ut proponat quaestiones circa processum contentiosum summarium.

Rev.mus Relator exponit ante omnia rationes ob quas, in praesenti stadio laborum huius Coetus, opportunum visum est condere normas de processu contentioso summario, quia scilicet in praecedentibus laboribus hic Coetus iam quaedam deliberavit quae exigunt ut huiusmodi normae processus summarii extruantur.

Etenim:

a) in Sessione superioris mensis aprilis approbatus est hic canon:

«Quando petitur separatio sive perpetua sive temporaria, instaurare debet *processus iudicialis summarius*, nisi alterutra pars vel promotor iustitiae instent ut processus contentiosus ordinarius habeatur».

Et in canone sequenti adnotatur quod «... causa separationis sequitur *communem tramitem processus summarii*».

b) Hic ipse Coetus in Sessionibus VIII^a et X^a approbavit possibilitatem amplioris applicationis processus documentalis de quo in cann. 1990-1992 CIC, quae quidem propositio recenter recepta est in M.P. *Causas Matrimoniales*. Consequenter negari non potest aliqua tendentia huius Coetus ut in pluribus negotiis, quae sunt longe minus momentosa quam causae nullitatis matrimonii, non exigatur semper processus contentiosus ordinarius.

Inspectis his rationibus extruendi normas de processu sommario, surgit statim quaestio de usu huius processus summarii, in quibusnam scilicet causis huiusmodi forma iudicialis adhiberi debeat. Huic quaestioni Rev.mus Relator censet non esse statim respondendum, quia collocatio singularum specierum controversiarum in typis processualibus fieri potest tantummodo quando totius provinciae iudicariae habebitur conspectus plenus et synopticus.

Rev.mus primus Consultor habet quaestionem praeiudicialem. Siqui-

¹ Rev.mi secundus et primus Consultores iterum affirmant suam sententiam circa opportunitatem auferendi a iure communi normas de causis separationis coniugum, cum in hac materia melius providere possit ius particulare.

dem ipse tenet quod normae de causis separationis coniugum auferri debent a iure communi, oporteret antea definire in quibusnam causis adhiberi debeat processus summarius, secus constructio huiusmodi novi instrumenti est inutilis.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo primo Consultore.

Rev.mus tertius Consultor quoque, quamvis non ob eandem rationem ac Rev.mi primi Consultoris, petit ut seligantur species causarum in quibus adhiberi debet processus summarius.

Omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Immo Rev.mus quartus Consultor petit ut processus summarius pronunc, in Ecclesia latina, restringatur ad causas separationis coniugum, ita ut, ex experientia in his causis, doceri possimus num et quomodo ad alias causas talis processus extendendus sit.

I. DE NOMINE ISTIUS PROCESSUS

Rev.mus Relator animadvertit quod vox «summarius» primo auditu non apparet favorabilis pro isto processu. definiendo, quia, iuxta communem profanum usum, sapit aliquid nimis leve et incomptum, seu per summa capita consideratum.

Apud civiles legislationes haec vox quandoque reservatur ad quibusdam processibus mere executivis, qui dicuntur per ministerium iudicis, sed non per pronuntiationem iudicis.

Forsan huiusmodi difficultates induxerunt compilatores Codicis pro Ecclesiis Orientalibus ad novum nomen inveniendum: «*de iudicio contentioso coram unico iudice*». Attamen talis solutio non videtur recta, quia elementum vere qualificans huius processu non est iudex *unicus*, sed *celeritas* tractationis et quia etiam processus contentiosus ordinarius, extra causas reservatas Collegio, fit a iudice unico.

Ideo Rev.mus Relator proponit ut hic processus inscribatur: «processus contentiosus summarius»; verba enim «processus summarius» iam cognoscebantur a vetere iure canonico et etiam nunc adhibentur in aliquibus codicibus civilibus; per verbum autem «contentiosus» innuitur agi utique de forma breviori, sed iuxta typum proceduralem vere iudicium.

Circa hanc propositionem sequentes animadversiones habentur:

Rev.mi quintus et quartus Consultores proponunt ut hic processus describatur: «iudicium contentiosum summarium», quia in iure canonico vox iudicium comprehendit causas quae in contradictorio definiuntur.

At Rev.mi Relator et Secretarius praeferunt inscriptionem «*processus contentiosus summarius*», quia vox «*processus*» latius patet quam vox «*iudicium*». Si adhiberetur vox «*iudicium*», inde a limine excluderentur ab hac forma processuali illae causae quae non concluduntur per sententiam. Vox autem «*processus*» adhibetur latiore sensu et ideo praeferenda videtur.

Rev.mus tertius Consultor dicit sibi non placere vocem «*summarius*», quia in praxi Sacrarum Congregationum haec vox importat aliquid per summa capita consideratum, quando difficulter servari possunt normae generales.

Rev.mus quartus Consultor respondit causas Sacrarum Congregationum esse causas administrativas et ideo nullam difficultatem provenire posse ex hoc capite contra usum vocis «*summarius*». Si autem ad sensum technicum huius vocis attendatur, illa optime adhiberi potest quia, iuxta auctores, vox «*summarius*» importat observantiam sollemnitatum quae iure naturali praescribuntur, praetermissis tantum formalitatibus iuris humani, quae celerem litis expeditionem retardant.

His consideratis, omnes Consultores concordant ut, saltem pro nunc, inscriptio huius titoli sit «*De processu contentioso summario*».

II. DE NATURA PROCESSUS SUMMARI

Circa naturam processus summarii Rev.mus Relator tenet illum esse vere iudicarium, uti innuitur sufficienter etiam per additionem verbi «*contentiosus*». Talis processus tamen est radicitus simplificatus, manente substantia contradictorii, actionis, exceptionis, probationum, publicationis, discussionis et sententiae motivatae: quae omnia obtinenda erunt faciliter et celeriter, quare praetermitti debent omnes sollemnitates, omnia temporis intervalla non stricte necessaria et permultae scripturae.

Fulcrum huius processus, dicit Rev.mus Relator, est *audientia*, quae respondit tribus necessitatibus simul, id est:

a) collectioni probationum (examen partium, testium, documentorum);

b) publicitati earundem probationum, quae colliguntur praesentibus partibus earumque advocatis, et ideo supplet publicationem actorum, qua tempus teritur;

c) discussioni causae, quae a patronis fit ante iudicem.

Rev.mus sextus Consultor vellet ut finis audientiae restringeretur ad collectionem probationum faciendam et ad publicitatem earundem probationum consequendam, non autem ad discussionem causae ante iudicem a patronis faciendam, quia haec discussio saepe saepius nihil confert claritati probationum et semper nocet celeritati iudicii.

Omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, immo Rev.mus quartus Consultor confirmat sententiam Rev.mi Relatoris argumentis desumptis ex historia et ex doctrina. Nam, dicit Rev.mus quartus Consultor, hoc modo revertitur ad primam proceduram ecclesiasticam, quae per plura saecula oralis fuit, et simul servantur illa principia quae a doctrina exiguntur in processu orali, scilicet principium concentrationis, principium propinquitatis (« immediatezza ») et principium identitatis.

III. DE CONSTITUTIONE TRIBUNALIS IN PROCESSU SUMMARIO

Rev.mus Relator animadvertit quod nunc temporis tendentia habetur in Ecclesia erigendi tribunalia regionalia, quibus non tantum causae nullitatis matrimonii, sed controversiae fere omnes demandentur.

Ast processus summarius, si longe a sede partium et testium celebretur, si expectare debeat inscriptionem in albo simul cum causis sollemnioribus, iam ex parte amittit suam efficaciam suamque functionem. Unde – eum quoque in finem ne pereat in dioecesi saltem minima administratio iustitiae apud Episcopum – optandum est quod in unaquaque dioecesi saltem processus summarius instaurari semper possit.

Ad hoc, dicit Rev.mus Relator, sufficit ut habeantur: Vicarius iudicialis, promotor iustitiae et notarius. Praeterea Rev.mus Relator censet quod in processu summario iudex adhibere deberet duos assessores etiam laicos, tamquam sibi assistentes et consiliarios (sine voto deliberativo), qui tamen non necessario debent esse docti in iure sed ita prudentes et recti ut bona aestimatione apud omnes gaudeant.

Plures Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, aliqui tamen censent assessores non esse necessarios, vel saltem eorum praesentiam relinquendam esse ad libitum competentis auctoritatis. Sed de hac quaestione dicetur quando examinabitur canon qui agit de hac re.

**Adunatio II^a
die 22 februarii 1972 mane abita**

Incipit examen canonum qui prostant in schemate a Rev.mo Relatore redacto:

Can. 1

«Etiam si habeantur tribunalia interdioecesana vel regionalia, curet unusquisque Episcopus dioecesanus quod in sua dioecesi habeatur tribunal, saltem ad causas, quae per processum summarium pertractantur, disceptandas et definiendas».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut supprimantur verba «etiam si habeantur tribunalia interdioecesana vel regionalia», quia sunt inutilia. Si enim datur praeceptum per verbum «curet», subintelligitur quod tale praeceptum viget, etiam si habeantur tribunalia interdioecesana et regionalia.

Tunc Rev.mus Relator ita corrigit formulam:

«Curet unusquisque Episcopus dioecesanus quod in sua dioecesi habeatur tribunal, saltem ad causas, quae per processum contentiosum summarium pertractantur, disceptandas et definiendas, quamvis habeatur in loco tribunal interdioecesanum vel regionale».

Suffragatur placeatne haec formula:

placet n. 10; placet iuxta modum n. 1.

Modus: detur facultas Episcopo ut ipse statuatur utrum causae de quibus in praesenti canone definiendae sint in tribunali dioecesano, an interdioecesano, an regionali (placet n. 1; non placet n. 10).

Can. 2

«§ 1. In processu summario tribunal constituitur a Vicario iudiciali, vel a Vicario iudiciali adiuncto, tamquam iudice unico, a promotore iustitiae et a notario, qui scripto consignet acta, quae a iudice et ab ipso notario subscribi debent.

§ 2. Iudici unico dentur ab Episcopo dioecesano duo assessores tamquam consulentes, presbyteri vel laici probatae vitae et bonae aestimationis, qui sessiones participant».

Examinatur paragraphus 1^a.

Rev.mus sextus Consultor notat quod promotor iustitiae non constituit tribunal; ideo de ipso statui debet ut «interveniat» iudicio, quatenus necessarium sit.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur «... promotor iustitiae interveniat *si opus sit*...».

Rev.mi Relator et quartus Consultor proponunt hanc formulam, quae omnibus placet:

«In processu summario tribunal constituitur a Vicario iudiciali, vel a Vicario iudiciali adiuncto, intervenientibus notario et, si opus sit, promotore iustitiae. Notarius scripto consignet acta, quae a iudice et ab ipso notario subscribi debent».

Circa paragraphum 2^{um} plures Consultores quaerunt ut assessores non requirantur taxative, quia in parvis dioecesibus difficulter inveniuntur qui apte hoc munere fungi possint.

Rev.mus quartus Consultor censet assessores in praesenti canone non esse accipiendos eodem sensu ac in CIC, id est tamquam periti in iure canonico. In hoc canone enim statuitur ut assessores sint sacerdotes vel laici *probatae vitae et bonae aestimationis*, uti fit in tribunalibus civilibus, ubi, praeter iudices, habentur «iudices populi» vel «iurati». Iamvero non est difficile ut tales viri inveniuntur in omnibus dioecesibus, etiam parvis, et ideo statui potest ut assessores dentur iudici unico tamquam consulentes, et quidem taxative.

Rev.mus Relator praeterea censet per assessores magnum iuvamen iudici dari et aliquod vestigium collegialitatis tribunalis servari posse.

Rev.mus primus Consultor censet quod si necessario assessores in processu summario intervenire debent, iam evanescit finis intentus a tali processu ut nempe iudicium habeatur *facile et celeriter*; praeter enim iudicem, promotorem iustitiae et notarium, requirerentur alii duo viri in singulis iudiciis: quod non facile obtineri potest in parvis dioecesibus.

Rev.mi septimus et quartus Consultores proponunt ut dicatur «clerici» loco «presbyteri» et Rev.mus Secretarius proponit ut dicatur «viri laici».

Rev.mus Relator hanc novam redactionem formulae proponit:

«Iudici unico dari possunt ab Episcopo dioecesano «duo assessores tamquam consulentes, clerici vel viri laici probatae vitae et bonae aestimationis, qui sessiones participant».

Placet n. 7; placet iuxta modum n. 4.

Modus: supprimatur verbum «viri» (placet n. 4; non placet n. 7).

Can. 3

«§ 1. Ad recipiendas appellationes competens est tribunal ad easdem causas diiudicandas in aliqua ex finitimis dioecesibus erectum, et a Conferentia episcopali determinandum.

§ 2. Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet, et iisdem regulis subiicitur».

Circa § 1 sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus sextus Consultor proponit hanc emendationem:

«... competens est tribunal ad easdem causas diiudicandas *a iure designatum* aut in aliqua ex finitimis dioecesibus erectum...».

Rev.mi quartus et primus Consultores proponunt suppressionem verborum «ad easdem causas diiudicandas.

Rev.mus primus Consultor proponit hanc redactionem § 1:

«Ad recipiendas appellationes competens est tribunal a iure designatum vel a Conferentia episcopali determinandum».

Suffragatur placeatne formula proposita a Rev.mo primo Consultore: placet omnibus.

Circa § 2 habetur suggestio facta a Rev.mo quarto Consultore, secundum quem appellationes iudicari deberent a collegio, quia in tribunalibus appellationis facilius collegium constitui potest. Haec suggestio placet n. 2, non placet n. 9.

Suffragatur placeatne § 2 prout proposita a Rev.mo Relatore: placet omnibus.

IV. DE DETERMINATIONE COMPETENTIAE

Deinde quaestio fit de determinatione competentiae, scilicet de determinatione causarum, quae per processum summarium tractari debent.

Quamvis initio dictum sit quod de hac quaestione non est nunc decidendum, tamen silentium plenum de hac re esset patens lacuna. Ideo Rev.mus Relator censet aliquid de re poni debere, vel per provisoriam dispositionem, vel per dictum omnino genericum, quod remittat ad normas alibi datas vel dandas. Rev.mus Relator praefert hanc alteram solutionem et proponit normam in qua duo habentur:

a) facultas datur Conferentiae episcopali demandandi processui summario alias causas praeter eas quas ius commune assignat huic ritui;

b) sartum tectumque servatur ius particulare, praesertim relate ad regiones ubi vigent «Statuta personalia», quod subtrahat quasdam causas huic tramiti processuali.

En formula proposita a Rev.mo Relatore:

Can. 4

« § 1. Praeter causas quas ius commune submittit processui summario, Conferentia episcopalis poterit eidem formae processuali demandare alias controversias minus graves, exclusis semper causis nullitatis matrimonii aliisque tribunali collegiali reservatis.

§ 2. Si quod ius particulare subtrahit a processu summario aliquas causas, istud praevalere debet ».

Circa § 1 quaedam animadversiones habentur:

Rev.mi quintus et quartus Consultores proponent suppressionem verborum « minus graves ».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur « minoris gravitatis » loco « minus graves ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut § 1 ita reducatur: « Praeter causas quas... Conferentia episcopalis poterit eidem formae processuali demandare alias controversias ».

Suffragatur placeatne § 1 suppressis verbis « minus graves »: omnibus placet.

Deinde suffragatur placeatne § 2: omnibus placet.

V. DE INTRODUCTIONE CAUSAE

Rev.mus Relator legit formulam can. 5, qui agit de introductione causae. Codicem orientalem sequens, Rev.mus Relator proponit ut actus introductionis processus vocetur « iudicialis petitio » loco « libellus ». Talis « iudicialis petitio », magis quam libellus pro processu ordinario, continere debet plura elementa, ne postea teratur tempus ad illa comparanda.

En propositio canonis:

Can. 5

« Iudicialis petitio, firmo canone 1708, referre debet:

1° Facta quibus actoris petitiones innituntur, breviter, integre et clare exposita;

2° Probationes quibus actor vult facta demonstrare; testium nomine, cognomine ac commorationis loco indicatis; documentorum exemplari authentico alligato;

3° Conclusiones actoris ».

Rev.mus Relator meminit in canone parallelo (can. 456) codicis orientalis haberi normam circa possibilitatem petitionis oralis coram iudice unico. Talem normam Rev.mus Relator censet non esse opportunam, quia oralis petitio dat ansum contestationibus plurimis et valde difficile erit notario consignare scriptis denuntiationem, ex. gr. ad separationem petendam, cum accusationibus, iniuriis, contumeliis erga aliam partem, quas forte dein retractabit pars ipsa. Ceterum, integra manet possibilitas petitionis oralis in casibus de quibus in can. 1707.

Rev.mus quartus Consultor concordat cum Rev.mo Relatore, immo ad vitandum omne dubium, proponit ut initio huius can. 5 dicatur «libellus» loco «iudicialis petitio».

Suffragatur haec propositio Rev.mi quarti Consultoris:
placet n. 9; non placet 2.

Rev.mus quartus Consultor praeterea quaerit cur inter requisitas notitias circa testes non recensita sit etiam notitia de testium «conditione», prout habetur in can. 1780.

Rev.mus Relator respondit investigationem de conditione testium discriminationem sapere, quae hodiernis temporibus sensui dignitatis humanae repugnat. Immo Rev.mus Relator, data occasione, proponit ut etiam in can. 1780 supprimatur verbum «conditione», quae propositio omnibus placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in n. 1° mutetur ordo verborum hoc modo: «... breviter, clare et integre exposita» (haec propositio omnibus placet).

Suffragatur placeatne can. 5 ita emendatus:
placet omnibus.

Adunatio III^a die 22 februarii 1972 vespere habita

Post acceptam petitionem iudicalem, iudex debet celeriter eandem petitionem alteri parti notificare. Circa hanc materiam Rev.mus Relator proponit hunc canonem:

Can. 6

«§ 1. Iudex intra decem dies ab exhibito libello, si iudicet illum valido fundamento niti, decreto ad calcem ipsius libelli apposito praecipiat

communicari, notarii cura et quocumque medio efficaci et discreto, exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate deponendi intra quindecim dies in cancellaria tribunalis scriptam responsionem ad exceptiones proponendas.

§ 2. Antequam ad notificationem deveniat, videat iudex an spes aliqua pacificationis vel saltem compositionis affulgeat, et satagat ut lis vitetur ».

Circa hunc canonem sequentes habentur animadversiones:

a) Rev.mus quintus Consultor proponit ut expresse dicatur terminum quindecim dierum, concessum parti conventae, *decurrere a die notificationis libelli*. Sed alii Consultores censeant non esse necessarium ut id expresse dicatur.

b) Rev.mus quartus Consultor censeat clausulam « si iudicet illum valido fundamento niti » esse nimis gravem. Sufficit ut petitio non sit vana et levis, ut admitti possit a iudice.

Rev.mus nonus Consultor autem censeat illam clausulam retineri posse, quia, in casu, libellus iam continere debet probationes et ideo iudex potest indicare num petitio « valido fundamento » nitatur.

Rev.mus Secretarius proponit hanc clausulam: « ... si iudicet illum aliquo fundamento niti ».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

c) Rev.mus sextus Consultor proponit ut exemplar petitionis, quod parti conventae communicatur, habeat vim citationis.

Propositio Rev.mi sexti Consultoris omnibus placet et ideo Rev.mi Relator et octavus Consultor hanc formulam redigunt tamquam § 2:

« Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in can. 1725 ».

d) Rev.mus sextus Consultor petit a Rev.mo Relatore quandam decurrant termini ut iudex partem conventam contumacem declarare possit.

Rev.mi Relator et quartus Consultor respondent quod ex citatione, de qua in § 2, huius canonis, dimanant omnes effectus proprii citationis, non excluso effectus declarationis contumaciae, si pars non comparet.

e) Rev.mus tertius Consultor censeat § 3 (§ 2 in formula proposita a Rev.mo Relatore) esse contradictoriam, quia iudex non potest aliquam spem pacificationis concipere, nisi per citationem aliquo modo partem audierit.

Sed alii Consultores censeant non esse necessarium ut praecedat citatio iudicialis, quia iudex potest concipere spem pacificationis, adhibitis mediis pastoralibus.

Rev.mus primus Consultor animadvertit quod de conatu pacificationis vel compositionis agi debet primo loco, scilicet in § 1, tamquam de primo munere quod incumbit iudici.

Rev.mus Relator, suggestionem Rev.mi primi Consultoris excipiens, sequentem redactionem canonis proponit, quae omnibus Consultoribus placet:

«§ 1. Accepto libello iudex in primis satagat ut pacificatio inter partes fiat, vel saltem ut ad compositionem deveniatur, vitatis tamen inutilibus moris.

§ 2. Quando conamen conciliationis incassum cesserit, iudex, si aestimet libellum aliquo fundamento niti, intra tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli appposito, praecipiat communicari, notarii cura et quocumque medio efficaci et discreto, exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate deponendi intra quindecim dies in cancellaria tribunalis scriptam responsionem ad exceptiones proponendas.

§ 3. Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in can. 1725 ».

Deinde Rev.mus Relator dicit quod responsio partis conventae potest elementa afferre quae ad actorem perveniant oportet, ut ipse utatur iure replicandi. Id praesertim eveniet, si conventus exceptiones proponat de litis pendentia, de lite finita, de testibus, de formula petiti etc. Item in replicatione actor potest proponere exceptiones vel circa testes adductos a convento, vel circa facta et documenta ab illo allata.

De his quaestionibus agit can. 7 quem Rev.mus Relator ita proponit:

Can. 7

« Si exceptiones partis conventae id exigant, iudex parti actrici praefigat terminum ad respondendum, ita ut ex allatis utrinque elementis ipse indubitanter colligere possit formulam dubii vel dubiorum partibus proponendam ».

Formula can. 7 omnibus placet.

**Adunatio IV^a
die 23 februarii 1972 mane habita**

Huic adunationi praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

VI. DE COGNITIONE ET DE DISCUSSIONE CAUSAE

a) *De cognitione causae*

Rev.mus Relator proponit aliquas considerationes circa notas peculiares cognitionis causae in processu summario. Ut parcatur celeritati, quae est propria huius processus, oportet imprimis refrenare nimium numerum testium et dein discussionem scriptam, persaepe vere academicam, vitare. Praeterea defensiones partium, quae hic vocantur «relationes», non praesentantur post conclusionem in causa, sed initio periodi probationis, deductis necessariis elementis ex notis quae, initio litis, mediante iudice, permutantur inter partes.

Tandem solutio de exceptionibus et de causis incidentibus dari debet a iudice in eadem audientia, quin locus sit appellationi a sententiis interlocutoriis. Nam procedura summaria, quae nititur in elemento orali et in publicitate, *aut* in paucis sessionibus sibi brevi succedentibus absolvitur, *aut* numquam resumitur post interruptionem. Hoc alterum eveniret, si daretur appellatio a sententiis interlocutoriis. Huiusmodi appellatio tamen non negatur, sed cumulatur cum appellatione a sententia definitiva, quae, ceterum, intra paucos dies sequitur.

His animadversionibus factis, Rev.mus Relator proponit sequentes canones de cognitione causae:

Can. 8

«In iudiciali petitione et responsione non licet singulis partibus plures quam quinque testes adducere».

Can. 9

«§ 1. Elapso termino parti conventae praestituto ad respondendum, et forsitan actori ad replicandum, iudex, perspectis actis, partes citet ut coram se compareant in audientia non infra decem nec supra triginta dies celebranda, addita formula dubii ex officio determinata.

§ 2. In eadem citatione partes certiores fiant de iure quo pollent exhibendi tribunali scriptam relationem ad sua asserta comprobanda, dummodo id faciant tres saltem ante audientiam dies et duplici exemplari, quorum alterum ex continenti communicari debet cum altera parte.

§ 3. Intra terminum de quo in § 2, partes quae velint alios audiri testes non adductos in petitione iudiciali vel in responsione, debent horum nomina una cum aliis requisitis de quibus in can. 5, 2°, cancellariae tribunalis nota facere, ea lege ut iudex paulo maiorem numerum testium permittat propter peculiaria causae adiuncta».

Can. 10

«§ 1. Probationes colliguntur in audientia, ad quam testes quoque citandi sunt.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistit excussioni alterius partis et testium».

Can. 11

«§ 1. In audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae.

§ 2. Admitti potest usus "stenographiae" vel machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus».

Can. 12

«§ 1. In eadem audientia iudex, auditis duobus assessoribus, si interfuerint, et promotore iustitiae, moderatur exceptiones forte propositas et solvit quaestiones incidentes quae occurrant.

§ 2. Sententiae interlocutoriae ab eo emissae impugnari nequeunt nisi una cum sententia definitiva, et modis ad impugnandas sententias definitivas admissis».

Circa singulos canones haec habentur:

Can. 8

Placet n. 10; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Can. 9

Rev.mus septimus Consultor proponit ut in can. 9 § 2 dicatur «scriptam *breve*m relationem» loco «scriptam relationem» (omnibus placet).

Suffragatur placeatne can. 9: omnibus placet.

Can. 10

Rev.mus sextus Consultor dubium exprimit circa opportunitatem § 2, quia si pars eiusque advocatus assistit excussioni testium alterius partis, periculum est ne testes mendaces sint vel reticentes.

Rev.mus primus Consultor autem proponit ut saltem caveatur ut testes seorsim singuli audiantur.

Rev.mus Relator accipit animadversionem Rev.mi primi Consultoris et proponit ut in can. 10 § 2 addantur verba haec: «firmo praescripto can. 1778».

Suffragatur placeatne can. 10 ita emendatus:
placet n. 10; non placet n. 1.

Can. 11

Omnibus placet.

Can. 12

Circa § 1 Rev.mus sextus Consultor proponit ne detur obligatio audiendi promotorem iustitiae.

Rev.mi quintus et quartus Consultores autem proponunt ut promotor iustitiae audiatur tantum quando in processum intervenit.

Rev.mus Relator censet promotorem iustitiae semper audiri debere quia ordo processualis protegi ordinem publicum qui ab ipso tutari debet.

Cardinalis Praeses proponit ut dicatur: «audiatur promotor iustitiae *si opus sit*» (placet omnibus).

Rev.mus tertius Consultor proponit hanc redactionem § 1:

«In eadem audientia iudex moderatur exceptiones forte propositas et solvit quaestiones incidentes quae occurrant, auditis, si opus fuerit, duobus assessoribus et promotore iustitiae».

Haec redactio omnibus placet.

Cardinalis Praeses proponit ut in § 2 dicatur «decreta interlocutoria» loco «sententiae interlocutoriae».

Rev.mus Relator autem proponit ut dicatur: «sententiae interlocutoriae vel decreta ab eo emissa, etc...».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

b) De discussione causae

Rev.mus Relator censet quod, ante discussionem causae, oportet praevidere casum de necessitate alterius audientiae. Ideo proponit hunc canonem, quod omnibus placet:

«*Can. 13*

Si in audientia probationes iam admissae colligi haud potuerint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia».

Rev.mus Relator deinde quaerit utrum huic recipi debeat necne norma codicis orientalis (can. 454) secundum quam partes se defendere possunt etiam «per se ipsas vel per unicum advocatum». Ipse Rev.mus Relator censet hanc normam non esse opportunam, quia timet ne partes, quae praesumunt sese defendere, reapse nihil faciant nisi offensiones in alteram partem et impromptitudines permiscere.

Cardinalis Praeses vero dicit negari non posse ut quis per se ipsum se defendat, si id facere valeat.

Actuarius meminit materiam hanc iam provisam fuisse in normis generalibus de partibus in causa (can. 1655, § 3) et ideo Consultores concordant ut nihil hic dicatur de hac quaestione, cum valeat norma generalis, in can. 1655 § 3 statuta, ut quis scilicet per seipsum se defendere possit.

Tandem examinatur canon de discussione causae, qui ita sonat:

Can. 14

«§ 1. Probationibus collectis, proceditur in eadem audientia ad discussionem oralem.

§ 2. Haec discussio fit inter partes eorumve patronos; quodsi partes unico utantur patrono, discussio fit inter patronum et promotorem iustitiae».

Rev.mus primus Consultor vellet aliquid addere de discussione continenda intra limites verae necessitatis.

Suffragatur placeatne formula proposita a Rev.mo Relatore:
placet n. 10; non placet n. 1.

VII. DE SENTENTIA

Rev.mus Relator censet quod iudex, per ritum processualem antea descriptum, iam habet in mente substantiam causae et ideo, antequam audientia dimittatur, iam paratus est ad sententiam pronuntiandam, auditis assessoribus si adsint.

Quod si causa sit difficilis et pars dispositiva decisionis complexa sit, decisio differri poterit, non tamen ultra tres dies.

Consultores concordantes sunt et ideo Rev.mus Relator proponit hanc formulam, quae omnibus placet:

Can. 15

«Fine discussioni orali imposito, si iudex ex actis et probatis censeat causam sufficienter instructam, auditis secreto suis assessoribus, si interfuerint, poterit sententiam vel statim pronuntiare vel eandem differre, non tamen ultra tres dies».

Rev.mus Relator proponit ut in fine audientiae pars dispositiva sententiae statim communicetur ore cum partibus; textus autem sententiae notificetur partibus intra quindecim dies.

Rev.mi quintus, nonus et sextus Consultores vellent ut pars dispositiva sententiae communicari *possit scripto* cum partibus in fine audientiae; alii Consultores autem concordant cum Rev.mo Relatore.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit, quae omnibus placet.

Can. 16

«§ 1. Pars dispositiva sententiae statim communicetur ore cum partibus in fine audientiae discussionis causae, vel in alia audientia convocanda ad normam can. 15.

§ 2. Sententiae textus, qui continere debet rationes iuris et facti quibus decisio innititur, quamprimum edendus est, ad summum intra quindecim dies, et partibus notificandus».

VIII. DE APPELLATIONIBUS

Rev.mus primus Consultor proponit ut in praesenti schemate processus summarii aliquid dicatur de appellationibus.

Rev.mus Relator accipit suggestionem Rev.mi primi Consultoris et proponit sequentem canonem:

Can. 17

«Impugnationes sententiae sequuntur generales normas iuris».
Formula can. 17 omnibus placet.

**Adunatio V^a
die 23 februarii 1972 vespere habita**

In hoc conventu incipit examen schematis canonum de causis solutionis matrimonii in favorem fidei. Hoc schema apparatus est a Rev.mo Consultore Damizia, qui fungitur munere Relatoris, sicut iam supra dictum est.

Rev.mus Relator animadvertit quod tota materia circa solutionem matrimonii in favorem fidei, in praesenti, profundiori studio subicitur in Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei, praesertim quod attinet ad peculiarem quaestionem num, ad solutionem habendam, requiratur conversio partis ad fidem. Tamen quicumque sit exitus huius studii Sacrae Congregationis, semper quaedam normae procedurae servari debent. Ideo nihil impedit quominus noster Coetus propositiones faciat circa has normas, quae in Codicem recipi debent.

Normae, quae servantur a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei pro solutione matrimonii in favorem fidei, numquam publicatae sunt; nunc vero bonum est si in Codice habeantur normae circa hanc solutionem, eo praesertim fine ut ipsae cognoscantur a iudicibus ecclesiasticis et in scholis ab alumnis discantur.

Rev.mus quartus Consultor censet non haberi rationes sufficientes introducendi in novum Codicem normas de solutione matrimonii in favorem fidei. Finis, de quo loquitur Rev.mus Relator, optime obtineri potest si Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei aliquam instructionem circa hanc materiam dat.

Sed alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore circa opportunitatem introducendi has normas in novum Codicem.

Can. 1

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Solutio in favorem fidei matrimoniorum eorum, quorum saltem alter baptizatus non sit, Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. ...».

Ratio reservandi has causas Sanctae Sedi est quod saepe in his causis videndum est simul de validitate baptismi et quod hoc modo habetur praxis constans in materia sat delicata.

Rev.mus primus Consultor censet has rationes, datas a Rev.mo Relatore, non esse talis ponderis ut revocare possint Consultores a consilio tribuendi etiam Episcopis facultatem solvendi matrimonium in favorem fidei.

Sed Rev.mus Relator admonet relatas rationes spectare potius ad opportunitatem vel inopportunitatem tribuendi talem facultatem Episcopis; ratio autem quae impedit quominus revera haec potestas tribuatur Episcopis est quod, secundum sententiam plurium theologorum, talis potestas est exclusiva Summi Pontificis.

Rev.mus secundus Consultor petit ut haec potestas, quamvis non recognoscatur ut propria Episcopis, eisdem tribuatur ut delegata a iure.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in formula canonis dicatur «Cognitio causae solutionis» loco «solutio».

Rev.mus Relator ita formulam corrigit:

«Cognitio causae dissolutionis in favorem fidei matrimonii eorum quorum saltem alter baptizatus non sit, Sedi Apostolicae reservatur, ad normam can. ..., salvo privilegio paulino».

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi secundi Consultoris:

placet n. 2; non placet n. 9.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

placet n. 9; non placet n. 2.

Rev.mus sextus Consultor petit ut praemittatur aliquis canon, prout ipse proponit in suo voto, quo indicetur de quibus matrimoniis hic agatur, quia multi non recta norunt ad quas matrimoniorum classes se extendat Summi Pontificis potestas quoad dissolutionem matrimoniorum in favorem fidei.

Canon ita redigi posset: «Solutio matrimonii in favorem fidei ex potestate Summi Pontificis attingere potest matrimonia inita: a) inter partem baptizatam acatholicam et partem non baptizatam; b) inter partem catholicam et partem non baptizatam; c) inter partes non baptizadas, extra casum privilegii paulini».

Maior pars Consultorum censent talem canonem praeliminarem esse inutilem, quia omnes casus indicati a Rev.mo sexto Consultore continentur in can. 1 iam approbato.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi sexti Consultoris:

placet n. 3; non placet n. 8.

Can. 2

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Gratia solutionis numquam conceditur nisi ex processu probe compertum fuerit in singulis casibus adesse conditiones quae sequuntur:

- 1° carentia baptismatis in alterutro (saltem) coniuge, perdurans toto tempore vitae coniugalis;
- 2° matrimonium consummatum non fuerit post baptismum susceptum a parte quae non erat baptizata;
- 3° conversio ad fidem catholicam saltem unius coniugis;
- 4° moralis impossibilitas restorationis vitae coniugalis;
- 5° absentia scandali vel admirationis;
- 6° novum matrimonium cum parte catholica contrahatur ».

Post brevem discussionem suffragantur singulae partes huius canonis: placeatne prima pars canonis: placet omnibus;

placeatne n. 1°: placet omnibus;

placeatne n. 2°: placet n. 10; non placet n. 1;

placeatne n. 3°: placet n. 5; non placet n. 6 ;

placeatne n. 4°: omnibus placet;

placeatne n. 5°: omnibus placet;

placeatne n. 6°: placet n. 6; non placet n. 5.

Quoniam maioritas Consultorum votum negativum protulit de n. 3°, Rev.mus primus Consultor animadvertit canonem esse lacunosum, quia nihil in ipso dicitur de favore fidei. Ideo ipse Rev.mus primus Consultor proponit ut aliquo modo haec lacuna compleatur.

Rev.mus Secretarius admittit canonem esse lacunosum, attamen censet lacunam melius compleri posse quando Summus Pontifex mentem suam aperuerit circa potestatem suam solvendi matrimonium quando utraque pars non sit baptizata.

Adunatio VI^a die 24 februarii 1972 mane habita

Can. 3

Rev.mus Relator, suggestionem Rev.mi undecimi Consultoris sequens, proponit hanc formulam can. 3:

«§ 1. Competens ad accipiendum libellum quo petitur dissolutio matrimonii est Episcopus dioecesanus commorationis non praecariae oratoris, qui poterit disponere instructionem processus per se vel per alium ecclesiasticum virum a se delegatum.

§ 2. Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam ».

Circa hanc formulam habetur animadversio Rev.mi primi Consultoris qui contendit notionem commorationis *non praecariae* esse obscuram et recursum ad Sanctam Sedem, de quo in § 2, vitari posse per concessionem factam alii Episcopo accipiendi libellum.

Suffragatur placeatne formula can. 3:

placet n. 9; non placet n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Can. 4

«Carentia baptismi in alterutro coniuge ita demonstranda est ut omne prudens dubium amoveatur».

Formula can. 4 omnibus placet.

Can. 5

Rev.mus Relator suggestiones quorundam Consultorum accipiens, ita proponit formulam can. 5:

«§ 1. Defensor vinculi breves interrogationes paret iuxta quas audiantur:

1° ipse coniux qui se non baptizatum dicit, itemque alter coniux;

2° testes, praesertim coniugis parentes et consanguinei, alique, speciatim qui tempore infantiae ei adstiterunt et totum eius vitae cursum noverunt.

§ 2. Coniuges et testes interrogentur de causa separationis; referant an ex matrimonio prolis nata sit et quomodo eiusdem educationi provisum fuerit, insuper an coniuges novum matrimonium attentaverint».

Suffragatur placeatne haec formula:

placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut hic referantur tamquam § 3 ea quae habentur in art. 8 normarum S. Officii diei 1 maii 1934, id est: «Si testis aliquis acatholicus coram sacerdote catholico se sistere ac deponere renuat, poterit acceptari documentum continens depositionem super hac re coram publico notario a teste peractam; quod expressis verbis in actis adnotandum est. Iudex investigabit quaenam fides huic attestationi adhibenda sit».

Rev.mus Relator consentit cum Rev.mo sexto Consultore, attamen censet formulam ita ampliari et mutari posse:

«§ 3. Si qua pars vel testis in causa coram sacerdote catholico se sistere ac deponere renuat, audiatur per laicum ab Episcopo designatum vel requiratur documentum continens depositionem super hac re coram publico notario peractam».

Rev.mus primus Consultor proponit ut depositio de qua in § 3, fieri possit vel coram notario, vel coram testibus.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut depositio fieri possit coram «publico officiali».

Rev.mus Relator quaerit placetne § 3 a se proposita, additis in fine his verbis: «... coram publico notario vel alio legitimo modo peractam».

Formula omnibus placet.

Can. 6

«Inquisitiones de carentia baptismi fiant in locis ubi pars, quae dicitur non baptizata, verisimiliter baptizari debuisse; praesertim in ecclesiis quas ipsa frequentaverit ad acquirendam religiosam institutionem, vel in qua matrimonium celebraverit».

Rev.mus primus Consultor censet hunc canonem esse inutilem quia ex inquisitione, de qua in can. 5, iam perveniri potest ad certitudinem moralem de carentia baptismi.

Suffragatur placeatne can. 6:

placet n. 10; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur «Inquisitiones... fiant *si opus sit* in locis etc...» (Rev.mus primus Consultor). Placet n. 1; non placet n. 10.

Can. 7

«Si quo tempore gratia solutionis petitur, coniux, qui non baptizatus exstabat, ad baptismum iam admissus fuerit, fiat inquisitio de non secuta matrimonii consummatione post baptismum».

Suffragatur placeatne can. 7:

placet n. 10; non placet n. 1.

Can. 8

«In causis dissolutionis matrimonii initi cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, exhiberi debet processiculus praematrimonialis».

Suffragatur placeatne can. 8:

placet omnibus.

Can. 9

«Episcopus dioecesanus omnia acta, una simul cum suo voto et animadversionibus defensoris vinculi, Sedi Apostolicae remittat».

Rev.mus secundus Consultor petit ut hic canon supprimatur et conferatur ipsi Episcopo facultas dissolvendi matrimonium.

Suffragatur placeatne can. 9:

placet n. 8; non placet n. 2.

**Adunatio VII^a
die 24 februarii 1972 vespere habita**

Rev.mus Relator dicit suam mentem circa tertiam quaestionem, in praesenti Sessione tractandam, num scilicet peculiares normae in Codice retinendae et recognoscendae sint pro iudiciis de quibus in cann. 1993-1998 et 2142-2194.

Rev.mus Relator censet omnia illa iudicia habere indolem processus administrativi. Quoniam autem in nostra Commissione peculiare schema de procedura administrativa paratum sit, omnia illa negotia, de quibus in cann. 1993-1998 et 2142-2194, hac procedura tractari poterunt.

Convenit tamen ut peculiares quaedam normae servantur sive circa remotionem et translationem parochorum, sive circa quasdam sanctiones poenales clericis infligendas.

Rev.mus primus Consultor censet omnia omnino negotia, de quibus supra, tractari posse procedura administrativa, quin ulla norma pro aliquo peculiari negotio statuatur.

Omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Appendix

SCHEMA CANONUM

I. DE PROCESSU CONTENTIOSO SUMMARIO

Can. 1

Curet unusquisque Episcopus dioecesanus quod in sua dioecesi habeatur tribunal, saltem ad causas, quae per processum contentiosum summarium pertractantur, disceptandas et definiendas, quamvis habeatur in loco tribunal interdioecesanum vel regionale.

Can. 2

§ 1. In processu summario tribunal constituitur a Vicario iudiciali, vel a Vicario iudiciali adiuncto, intervenientibus notario et, si opus sit, promotore iustitiae. Notarius scripto consignet acta, quae a iudice et ab ipso notario subscribi debent.

§ 2. Iudici unico dari possunt ab Episcopo dioecesano duo assessores tamquam consulentes, clerici vel viri laici probatae vitae et bonae aestimationis, qui sessiones participant.

Can. 3

§ 1. Ad recipiendas appellationes competens est tribunal a iure designatum vel a Conferentia episcopali determinandum.

§ 2. Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet, et iisdem regulis subiicitur.

Can. 4

§ 1. Praeter causas quas ius commune submittit processui summario, Conferentia episcopalis poterit eidem formae processuali demandare alias controversias, exclusis semper causis nullitatis matrimonii aliisque tribunali collegiali reservatis.

§ 2. Si quod ius particulare subtrahit a processu summario aliquas causas, istud praevalere debet.

Can. 5

Libellus, firmo can. 1708, referre debet:

1° Facta quibus actoris petitiones innituntur, breviter, clare et integre exposita;

2° Probationes quibus actor vult facta demonstrare; testium nomine, cognomine ac commorationis loco indicatis* documentorum exemplari authentico alligato;

3° Conclusiones actoris.

Can. 6

§ 1. Accepto libello iudex in primis satagat ut pacificatio inter partes fiat, vel saltem ut ad compositionem deveniatur, vitatis tamen inutilibus moris.

§ 2. Quando conamen conciliationis incassum cesserit, iudex, si aestimet libellum aliquo fundamento niti, intra tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli appposito, praecipiat communicari, notarii cura et quocumque medio efficaci et discreto, exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate deponendi intra quindecim dies, in cancellaria tribunalis scriptam responsionem ad exceptiones proponendas.

§ 3. Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in can. 1725.

Can. 7

Si exceptiones partis conventae id exigant, iudex parti actrici praefigat terminum ad respondendum, ita ut ex allatis utrinque elementis ipse indubitanter colligere possit formulam dubii vel dubiorum partibus proponendam.

Can. 8

In iudiciali petitione et responsione non licet singulis partibus plures quam quinque testes adducere.

Can. 9

§ 1. Elapso termino parti conventae praestituto ad respondendum, et forsitan actori ad replicandum, iudex, perspectis actis, partes citet ut coram

* Consultores unanimiter deliberaverunt ut in can. 1780 supprimatur verbum « conditione ».

se compareant in audientia non infra decem nec supra triginta dies celebranda, addita formula dubii ex officio determinata.

§ 2. In eadem citatione partes certiores fiant de iure quo pollent exhibendi tribunali scriptam brevem relationem ad sua asserta comprobanda, dummodo id faciant tres saltem ante audientiam dies et duplici exemplari, quorum alterum ex continenti communicari debet cum altera parte.

§ 3. Intra terminum de quo in § 2, partes quae velint alios audiri testes non adductos in petitione iudiciali vel in responsione, debent horum nomina una cum aliis requisitis de quibus in can. 5, 2°, cancellariae tribunalis nota facere, ea lege ut iudex paulo maiorem numerum testium permittat propter pecuniaria causae adiuncta.

Can. 10

§ 1. Probationes colliguntur in audientia, ad quam testes quoque citandi sunt.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistit excussioni alterius partis et testium, firmo praescripto can. 1778.

Can. 11

§ 1. In audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae.

§ 2. Admitti potest usus « stenographiae » vel machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus.

Can. 12

§ 1. In eadem audientia iudex moderatur exceptiones forte propositas et solvit quaestiones incidentes quae occurrant, auditis, si opus fuerit, duobus assessoribus et promotore iustitiae.

§ 2. Sententiae interlocutoriae vel decreta ab eo emissa impugnari nequeunt nisi una cum sententia definitiva, et modis ad impugnandas sententias definitivas admissis.

Can. 13

Si in audientia probationes iam admissae colligi haud poterint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia.

Can. 14

§ 1. Probationibus collectis, proceditur in eadem audientia ad discussionem oralem.

§ 2. Haec discussio fit inter partes earumve patronos; quodsi partes unico utantur patrono, discussio fit inter patronum et promotorem iustitiae.

Can. 15

Fine discussioni orali imposito, si iudex ex actis et probatis censeat causam sufficienter instructam, auditis secreto suis assessoribus, si interfuerint, poterit sententiam vel statim pronuntiare vel eandem differre, non tamen ultra tres dies.

Can. 16

§ 1. Pars dispositiva sententiae statim communicetur ore cum partibus in fine audientiae discussionis causae, vel in alia audientia convocanda ad normam can. 15.

§ 2. Sententiae textus, qui continere debet rationes iuris et facti quibus decisio innititur, quamprimum edendus est, ad summum intra quindecim dies, et partibus notificandus.

Can. 17

Impugnationes sententiae sequuntur generales normas iuris.

SOLUTIO MATRIMONII IN FAVOREM FIDEI

Can. 1

Cognitio causae dissolutionis in favorem fidei matrimonii eorum quorum saltem alter baptizatus non sit, Sedi Apostolicae reservatur, ad normam can..., salvo privilegio paulino.

Can. 2

Gratia solutionis numquam conceditur nisi ex processu probe compertum fuerit in singulis casibus adesse conditiones quae sequuntur:

- 1° carentia baptismatis in alterutro (saltem) coniuge, perdurans toto tempore vitae coniugalis;
- 2° matrimonium consummatum non fuerit post baptismum susceptum a parte quae non erat baptizata;
- 3° moralis impossibilitas restorationis vitae coniugalis;
- 4° absentia scandali vel admirationis;
- 5° novum matrimonium cum parte catholica contrahatur.

Can. 3

§ 1. Competens ad accipiendum libellum quo petitur dissolutio matrimonii est Episcopus dioecesanus commorationis non praecariae oratoris, qui poterit disponere instructionem processus per se vel per alium ecclesiasticum virum a se delegatum.

§ 2. Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.

Can. 4

Carentia baptismi in alterutro coniuge ita demonstranda est ut omne prudens dubium amoveatur.

Can. 5

§ 1. Defensor vincili breves interrogationes paret iuxta quas audiantur:

- 1° ipse coniux, qui se non baptizatum dicit, itemque alter coniux;
- 2° testes, praesertim coniugis parentes et consanguinei, aliique speciatim qui tempore infantiae ei adstiterunt et totum eius vitae cursum noverunt.

§ 2. Coniuges et testes interrogentur de causa separationis: referant an ex matrimonio proles nata sit et quomodo eiusdem educationi provisum fuerit, insuper an coniuges novum matrimonium attentaverint.

§ 3. Si qua pars vel testis in causa coram sacerdote catholico se sistere ac deponere renuat, audiatur per laicum ab Episcopo designatum vel requiratur documentum continens depositionem super hac re coram publico notario vel alio legitimo modo peractam.

Can. 6

Inquisitiones de carentia baptismi fiant in locis ubi pars, quae dicitur non baptizata, verisimiliter baptizari debuisse; praesertim in ecclesiis quas ipsa frequentaverit ad acquirendam religiosam institutionem, vel in qua matrimonium celebraverit.

Can. 7

Si quo tempore gratia solutionis petitur, coniux, qui non baptizatus exstabat, ad baptismum iam admissus fuerit, fiat inquisitio de non secuta matrimonii consummatione post baptismum.

Can. 8

In causis dissolutionis matrimonii initi cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, exhiberi debet processiculus praematrimonialis.

Can. 9

Episcopus dioecesanus omnia acta, una simul cum suo voto et animadversionibus defensoris vinculi, Sedi Apostolicae remittat.